



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Codratus M. 10. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

162 VITÆ SANCTORUM. 10. Marti-
rus? quoties se cibum præbuit? quoties,
ut in amantis oculis luderet, in omnes
formas se mutavit, & nunc nasci iterum,
agereque quæ puer egit, nunc pugnas ve-
teres pugnare mortemque obire iterum,
triumphare iterum visus est? Sed & Ag-
num iterum induere, & ex lateris fonte
illud nectar fundere sitienti voluit, quod
omnes olim biberemus, nisi mundi lacu-
nas sitiremus. *Ex vitâ.*

*Solent Angeli astare orantibus & dele-
tari in his, quos vident levare puras ma-
nus in oratione: holocaustum sanctæ devo-
tionis gaudent se offerre Deo in odorem sus-
citatis. S. Bern. hom. 3. super Missus.*

S. CODRATUS M. 10. Martij.

Adeste & aures advertite, qui matrem,
qui ubera matris, & sinum clamant-
is molliculi: suum etiam Superis lac est.
Matrem CODRATUS in cunis ami-
sit, neque tamen non molliter est edu-
catus. Et enim nube miraculosâ implici-
tum Numen fovit, & ambrosiâ scilicet
enutrivit delicatum. O pluribus cæli hanc
instillate, plures ut CODRATOS
habeamus! Nimirum à cælo lactatus cæ-
lum sapuit, cælum spiravit CODRA-
TUS, & cæli amore, etsi medicus alio-
rum prolongaret, suam ipse tamen vitam
imò mortem contempsit. Ecce enim ver-
berant crudelem in morem CODRA-
TUM

11. Mart. VITÆ SANCTORUM. 163
TUM tortores. Aërem, non CODRA-
TUM, verberant. Nunc minas Jason
Præfectus, nunc blanditias ingerit &
promissa. Surdus est Martyr. Raptatur
cum sociis ad supplicii locum. Ad epu-
lum ire sibi visi sunt, atque ut seires, quan-
to gaudio imbuti, cum cantu ivere, &
illo, si iudices vel Cælitum aures rogaf-
ses, longe suavissimo. Jam verò cum ca-
pite sunt truncati, gaudio demum dice-
res exsiluisse. Terra quoque applaudens
eo in loco, quem sanguine pinxerunt,
fontem reddidit, sed qui Christianorum
pro Christo mori volentium non pelle-
ret, sed accenderet sitim. *Ex Suario.*

*Si vis habere ministeria Angelorum, fuge
confortia seculi, & tentationibus resiste
Diaboli. Renuat consolari anima tua in a-
liis, si vis in Dei memoria delectari. S.
Bern. serm. 4. in Pf. Qui habitat.*

SS. MARTYRES ANTIOCHENÆ.

11. Martij.

ANno partæ salutis CCC. VI. eò fu-
ror Imp. Maximini barbarus Antio-
chiæ pervasit, ut neque famem crude-
lem extensi per craticulas Christiani len-
toque igne affati exsaturare; neque
sitim cruentam flumina jam sanguinis
possent sedare. Tantum verò abfuit, ut
ad hæc exhorresceret Christiana Phi-
losophia, ut sponte suâ Numine utique

L 2

invi-